restituti. Vale Illustrissima Domina, et quid hodie rerum agas, quem in orbem delata sis ab Æthiopiâ tuâ ubi te postremum reliqui, rogo ne graveris indicare. At neque fidem liberant, quâ de Polygraphiæ specimine scis quam arctè se mihi humanitas tua obstrinxerit. Hagæ Com: — Id: Jun: CIↃIↃCLXVI.

Totus tuus.

Schurmannæ.

Illustrissimæ d:
Annæ Mariæ a Schurman
Constantinus Hugenius
S. P. (499).

Tu quidem elabi tentas, Mea virgo, et quasi postico clientem fallere. At ego hirudo sum.

Non lictura cutem nisi docti plena cruoris.

cui præstando obligatam te teneo ijs vinculis, quibus ligari homines ajunt, ut funibus taurorum cornua. Itaque verè te scabrities membranæ, quam pretexis, ullo pacto liberabit. quin ego, si quod tale incommodum offendisti, eo attentius videre aveo, ut materiam superavit opus, et si quâ natura vitium fecit quam id arte tectum sit aut correctum. Proinde cum, ut vides, ipse profitear abundè satisfieri mihi posse, eâ quâlicumque Tabellâ cujus exarandæ molestiam semel subiisti meâ causâ; nihil est relictum, quo te subduces. ne illud quidem Elichmanni Tetrastichon, lepidum licet et ingeniosum; sed quod pluris apud me est, ut à Schurmannæ manu profectum, quam vel ab industriâ vel eruditione autoris. Vale, stupenda, et fidem solve. Hagæ Com: ipsis kalendis Sept: CIↃIↃCLXVI. quibus te abitinere reducem hasce inventuras spero.

Schurmannæ.

Nobilissimæ virgini
d: Annæ Mariæ a Schurman.
Constantinus Hugenius.
S. P. D. (500).

Ecce me Bredâ reducem, virgo illustrissima, ad quod iter cum procinctus starem, allata fuit mirabilis operæ Tabella quam tu delendo scilicet antiquo nomini, meam esse voluisti. Illam in sententiam currente rate rotâque ut meus est mos, sic ludebam

Quam precibus lassata meis, Schurmanna, dedisti
Ultima posteritas admiratura Tabella est.
Hoc delere vocas, frustra es, mea virgo; tuumque
Tam bene delendo facis indelebile nomen.

At simul scias bene te deesse, et quam amplissime de teipsâ